

1
6
516






Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.516/a

ORATIO

DE REMEDIIS SPECIFICIS,

HABITA IN ARCHI-LYCEO PATAVINO,

DIE III. NOVEMBRIS, M. DC. LXXXIX.

A CAROLO PATINO,

EQUITE D. MARCI DOCT. MEDICO PARIS.

PRIMARIO PRACTICÆ EXTR. PROFESSORE.



PATAVII,

EX TYPOGRAPHIA SEMINARIJ,

M. DC. LXXXIX.

SUPERIORUM PERMISSU.

PROVIDENTISSIMO

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS. D. D. D.

ARCHI-LYCEI PATAVINI MODERATORUM

GENIO,

CAROLUS PATINUS.



Entibus acceptissimum invocandi Genii morem Christiana Religio adeo immutavit, ut Angelum cuique Custodem seu ἀγαθὸν Δαίμονα præfixerit colique imperaverit: Isti flores spargebantur, extremusque convivii crater profanè dicabatur; Huic verò sacra mente sacrisque verbis litamus, ut propitiora nobis succedant omnia. Hoc planè cultu, Vos Ill. & Excell. III. Viros veneramur, honoris nostri Custodes, & quos ejusdem ampliatores ultro desideramus. Liceat itaque mihi data Prolusionis crastino die recensendæ occasione, meam apud vos fortunam paucis exponere, vestramque implorare opem, justitiam, auctoritatem, clementiam. Extraordinarium praxim med. docendi munus, conciliante fel. mem. Baptista Nanio, Publico Reipublicæ lumine *passim cognominato, mihi à XV. annis à Ser.mo Principe impositum est cum trecentorum florenorum stipendio. Tanti Viri morte qui summos honores prænunciabat, evanescere visa est spes illa quam mecum optimi multi tenebant, dum à Deo, opinor, suscitatus Hier. Basadonna, è patriæ Patribus unus, in diligentiæ præmium, ne dicam industriæ, dignitatem amplificari stipendiumque trecentis florenis augeri benignissimè procuravit. Sextum inde annum frustra expectavimus, nec nisi post octavum, audivimus Aug. Senatum, alioquin munificentissimum, centum florenos sexcentis addidisse. Decreto fidem vix adhibere licebat, nec ab Excell.mo Magistratu, nec ab ejusdem Secretario pro more, nec ab ullo patronorum aut Amicorum significato. Solatium à Vobis expectari non molestè feratis, O & præsidium & dulce decus meum. Vilis pecuniæ augmentum postulent aut miseri aut philargyri, Animi nostri excelsitas luctuosas nescit querimonias, clamantis familiæ vocem vix audit: Primariam exedram constanter petimus, è qua Ser.ma Reipublicæ clementiam vestramque benignitatem pro dignitate celebrare possimus. Eam si conciliaveritis, Musis nostris triumphum, Academiis multis lætitiam, familiæ meæ solatium donaveritis; verbo cætera comprehendantur, χρηστομαθῶς Litteratorum gratiam merebimini. Diu Valete, & labantem nostram sortem auctoritate vestra prudentiaque restituatis.*

Patavii, die 2. Nov. qui ἀγαθοῦ Δαίμονος censebatur, M. DC. LXXXIX.

Illus-

Illustrissime & Generosissime Prosyndice, &c.



SAcram artem ex persequendis tot Naturę mysteriis longissimam esse animadvertunt, qui felici genio ei se addicentes; comparandæ medendi opportunitati, anteactorum temporum errores indagare removereque conantur. Hos Empiricus agyrta nil curat, spem juxta metumque, solum aucupaturus lucrum, morbos quos non invenit extremos faciens, quos invenit, extenuans, & pro Mortalium imbecillitate, alexiteria, polychresta balsama, specificaque secreta pollicetur, illaque tanta vi commendat, ut philosophis probè medentibus prælatus, cùm apud Principes tum apud plebem, non raro acceptissimus sit.

Nec tempora nec mores accusare convenit: Omnium fere sæculorum culpa est, omnium fere hominum, ut dementem me summæque temeritatis conscium ipse censerem, si tot opiniones reprimere contenderem: Torrentem pro viribus coercere meum esto desiderium, meum votum. Quo me Seren. Respublica donavit praxim medicam docendi munere, ei hodierna die utcunque satisfacturum confido, dum nobiles φιλιατρῶν animas à fallacibus ejusmodi scopulis liberavero, ad Galeni mentem Medici nomen non mereri ἀφιλοσόφον demonstravero, & specifica si quæ sint remedia nec ἀλογῶς nec inconsultè admittenda esse confirmavero.

Narrat Plutarchus Pyrrhum Molossorum Regis filium adhuc infantem ab hostibus investigatum, clam ab amicis sublatum, in fugam arreptum fuisse. Quæ in manibus erat spes, elapsa eis repente est, ubi ad amnem pervenerunt rapidum, & nulla ratione permeabilem. Diffidentes Pyrrhi servatores quum animadvertissent incolas stare in ulteriore ripa, hos oraverunt ut trajectioni opitularentur, infantemque supplices ostenderunt: At illis ob undarum strepitum non exaudientibus, dum hi clamant, isti nihil intelligunt, uni venit in mentem ut detracto quercus cortici inscriberet fibula litteras necessitatem & fortunam Pueri significantes, quem circumvolutum lapidi in ulteriorem ripam projecit. Illis lectis, qui trans fluvium erant, ratem miserunt, & Pyrrhum servaverunt.

Historicum ænigma jam vindicari tempus adest, Auditores optimi: Pyrrhus Veritatis vices subeat, cui vix natę hostes insurgunt innumeri. Regium Numen servare tentemus, quod à generosa, & φιλαλήθει Studiosorum indole sperare licebit. Tot vitæ diverticulis, tot inauditis hactenus philosophandi modis, tot privatis utilitatibus, Veritatem opprimi, & in profundo demergi, ingens metus suboritur. Sed incolas animadverto extra periculum, quos alta voce suplex interpello: Vobis Pyrrhum sum exhibiturus, Philiatri nobilissimi, dilectissimi; Regio Infanti, precor succurrite. Nondum intelligitis, nondum opitulamini: Pro cortice cui PYRRHI nomen inscriptum sit, verba mea accipite, auctoritate medicinæ Principum instar lapidis gravissima. Ratem itaque confestim transmittite, aures scilicet & mentem quibus Veritatem ad Vos fugientem pro sua dignitate excipere poteritis.

Investigatis elapso anno quibuscunque Febribus, injunctum nobis munus postulat ut particulares capitis morbos declaremus, ac tanta diligentia perscrutemur, ut quidquid ad eorum curam ratio experientiaque obtulerit, benevolis Auditoribus communicetur. Apum exemplo ex variis floribus suaviores succos decerpentium præclaras antiquorum recentiorumque Medico-

4

rum cogitationes colligemus, & ad ægrotantium levamen producere pollicemur. Cùm autem tum ob dignissimas illius partis functiones, tum ob abstrusas morborũ causas, tum etiam ob maximum ac urgens mortis periculum, multa proponi soleant specifica remedia, circa horũ usum, atq; abusũ hodie proludemus, quę nobis utilia visa fuerint cõmẽdabimus, superflua liberè damnabimus.

Priusquam specifica quid & quomodo valeant explicemus, ab æquivocatione cavendum quæ nos in errorem conjiceret, nil aliud cum Galeno cogitantes, quàm eundem excutere. Tria itaque apud Medicorum vulgus specificorum vocabulo significantur: Primùm quidem, quæ cum aliqua corporis parte amicam habent συμπάθειαν; sic cerebro, cordi, pulmonibus, convenire dicuntur quæ partes illas sublevant. Quæ deinde sincerum aliquem humorem, bilem, phlegma, succumque melancolicum attrahere, aut evacuare creduntur κατ' ἕλξιν aut κατ' ὦσιν specifica virtute id præstari docetur. At tertia acceptio frequentiùs occurrit, dum morbos particulares à specificis remediis profligatos intelligimus; quemadmodum Apoplexiam, Pleuritidem, Asthma, occulta proprietate sanans medicamentum, specificum palam prædicatur.

Qui eorum causam suscipiunt, aliquando quidem morbos totaliter depelli affirmant, nec tamen ob repugnantes sępè alienas causas, Medicorum vota pervertentes, id absolutè requiri, cùm sufficiat imminuto insigniter morbo, ægrum utcunque sublevari, sive caloris fiat beneficio, sive amaroris, sive virtutis sudorificæ, aut reconditioris alicujus qualitatis. Sensuum relationes, inquiunt, nullum rationis compotem negaturum opinamur, sophismatibus Anaxagoræ, nivem non esse albam, sustinentis inhæsurum; sed multa dari præter sensus, nec ab his omnia comprehendi fateri necesse est: Hos omnibus animantibus Natura condonavit, ut docet Pergamenus noster; rationem solis hominibus cum Diis communem esse voluit, quę scilicet sensus dirigeret & perficeret, iisque deficientibus suppleret. *Medicina* deinde *brevem habet occasionem*, inquit Hippocrates, *l. 1. de loc. in hom. c.* 54. ἡ δ' ἰατρικὴ ὀλιγόχρονός ἐστι· & aphor. 1. ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς, *occasio præceps*. Specifica itaque erunt admittenda, quæ neglectis fastidiosis Dogmaticorum ambagibus illico sanent.

Celeb. Rob. Boylius, argumentum à paritate produxit, experientiaque confirmavit: Ut enim periculosos admodum morbos exigua veneni portio generat, cur occultam sanandi qualitatem non haberet minima etiam alexiterii quantitas? At illud, me Hercle, Galenica remedia non dabunt, alibi proinde quærendum veniet. Morbi quidem occurrunt mille pro unica sanitatis specie; cur mille morbis, mille venenis, unum non objiceretur specificum?

Mirabilia quidem leguntur apud Galenum hujusmodi exempla, *l. 11. de simpl. med. fac.* quibus constat vinum in quo extincta fuisset vipera, elephantiasim seu lepram sanâsse: Hujus præterea carnem non modo non venenosam, sed & egregiè nutrientem & morbos multos curantem, ac proinde præclari illius medicamenti basim esse quod Medici Theriacam appellant. Id referant qui voluerint ad exsiccantem manifestè qualitatem, valenter digerentem, & convenienter calefacientem; addant & maximam istorum reptilium humidi radicalis copiam: Breviùs erit certè, cautiùs, atque pomposiùs, occultam & specificam ei asserere.

Scorpionum ictus acutumque eorum dolorem sanat oleum in quo scorpiones multi suffocati fuerint, soli expositum, omnium hoc in confesso est, atque celeriùs si vulneri scorpio atteratur. An oleo, an scorpionis virulentiæ hanc inauditam sanandi vim tribuerint diobolares Medici? Nonne præclarior erit opinio, & artis majestate dignior, specificam qualitatem confirmare

re

re? Serpentariam Virginiæ plantam venenatis ſerpentum morſibus ſubitò mederi pariter affirmant, qui regionis illius hiſtoriam ſcripſere. Negabunt iterum, & ab alio orbe redeuntibus mentiri licere referent; Quin, ut ſpecificam illam qualitatem reſpuant, ad ignotam ſibi potiùs confugient.

Quid manifeſtum experirentur iidem in Cancrorum cineribus? Hos tamen contra rabidi canis morſus adhibebant Veteres, ipſo teſte Galeno Dioſcorideque, *ut nullus qui iis uſus ſit*, ajunt, *mortuus fuerit*; occultam eorum qualitatem juvante Gentianę atque thuris addita portione. Quis eventum adeo felicem temerariè negaret? Quis ſummos illos viros vanè ſcripſiſſe & juxta fidem aliorum proferre auderet? Occulta itaque qualitas tantis auctoritatibus aſſerenda eſt, quæ ſpecifica remedia ſtabiliat.

Corticem Peruvianum inter ſpecifica medicamenta primas tenentem laudant impensè Doctiſſ. VVilliſius, & tot cumulatis nummis famoſus Eques Talbotius, adverſus Quartanas, quin & cæteras intermittentes febres. Manifeſtis qualitatibus tradant Adverſarii quantùm voluerint, amarori, adſtrictioni, fermentationi, non tamen illis integram deberi ſanitatem probabunt, aut non ſanatis omnibus, aut ſæpè recurrentibus febribus.

Vulgus abunde novit ſilices ſpinæ dorſi impoſitos narium hæmorrhagiam ſiſtere, manifeſta qualitate nulla prolata. Fortè hanc affirmaret veſanus aliquis, & ferrum aliaque metalla, quòd frigida ſint, idem præſtare diceret, ſenſum obtundentia: ſed ingentem ſanguinis fluxum non cogunt frigida.

Nonne aquilæ lapides collo appenſi fœtum in utero diutiùs retinent, femori alligati celeriorem ejus exitum procurant? Fœminas omnes hujus qualitatis occultæ fidem facere notum eſt, quæ ſolę id queunt teſtari. Porro ab hac opinione alienos nonnullos novimus, qui ſoli fœtus perfectioni ac maturitati id tribuant, viam ſibi tunc fortiter aperientis, nullo fulcro priùs indigentis, nullo ſpecifico. Sed muti planè ſunt dum faſcinationes ab eodem Aetite lapide ſanari palàm objicitur.

Quis Antimonio famoſiſſimam ſpecifici dignitatem eriperet, omnis generis humores ſurſum deorſumque detrudenti? Alimentàriis quidem ut excrementitiis utcunque videtur infenſum, naturalem œconomiam diſturbans, totumque corpus adeo concutiens, ut vectis inſtar μοχλικὸν ab ipſis Chymicis nuncupetur. Hoc ipſo quàm peculiaribus ſuis virtutibus emetica & cathartica, κατ᾽ἐξοχὴν ſpecificum appellari meretur, non uni ſolùm morbo conveniens, ut quàm plurima alia, ſed Febribus omnibus cùm acutis tum chronicis, Apoplexiæ, Paralyſi, Epilepſiæ, Lethargo, Anginę, Pleuritidi, Ictero, Hydropi, Podagrę, aliisque quam multis noſocomiorum hoſpitibus, nonniſi longiſſima Dogmaticorum methodo ſanandis.

Viribus Mercurii Luem Veneream abſolutiſſimè ſanari fatentur ipſi Medici, quem ante duo ſęcula iſti uſui nondum adhibitum fuiſſe conſtat, quamvis antiquitas illius metalli vires manifeſtas noverit. Concedendæ ſunt itaque qualitates occultæ horrendum hoc libidinoſorum flagellum profligantes, quæ ſpecificum ejus remedium ſtabiliant. Quis enim recalcitrando aſſerere auderet, ſoli cutis portioni aut binis articulis admotum, ea pollere partium tenuitate quæ latentes humores omnes ſpongiæ inſtar exprimeret, & ſeroſam eorum virulentamque colluviem per πτυαλισμὸν ſurſum ferri & excerni cogeret, illæſis planè, niſi per nimiam quantitatem error fiat, cæteris humoribus, aut partibus.

Chronicos morbos à tenacibus viſcoſiſque humoribus ortos ſpecificis medicamentis obrui novit univerſus populus, cujus vox & ipſius Dei O. M. eſſe

cen-

censetur: Fiat id soliditate, figura, agitatione, parum refert, modo materiæ morbificæ textura destruatur; An auderent pertinaces viri id ex manifestis qualitatibus oriri pronunciare? An continuò objicient cum Galeno *contraria contrariis curari*, & hac ducti ratione, morbos ab acido cedere alcalizatis, sive fixis ut salibus, sive volatilibus ut spiritibus. Medicinam isti Medici perderent, quam adeo intelligibilem docerent. Artis secreta ipsi addiscant, inter quæ primas illud tenet, aliter quàm vulgus sapere.

Hæc & sexenta alia celebri Kergero ansam dederunt scribendi, *l. de ferm.* se ultra mille febricitantes sine venæ sectione, purgatione, sudorificis, diureticis, alterantibus, corroborantibus, topicisq; sanasse, unico medicamento præcipitante, *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.*

Multo adhuc sunt mirabiliora quædam specifica dum invitò Aristotele agunt in distans. Quo modo fiat hoc, doceri patiantur increduli à vulneratis sympathico pulvere sanatis qui ex remotissimis etiam regionibus virtutes ejus exceperunt, sanguine suo ad Medicum hujusmodi maturè translato. Venientem ad nos oportet credere, nec tam facilè vulgaribus illis philosophis rerum causas scrutantibus, fidem adhibere.

Penè pudet fallacibus illis Sophismatibus tamdiu immoratum fuisse: Animadvertere potuistis, viri χαρίεντες, aliam mihi fuisse mentem quàm vanas aut aniles ineptias Vobis obtrudere, & ignorantiæ azylum demonstrare. Nullam brevi fore medicinam censeatis, Eruditi Philiatri, si pro philosophicis ratiocinationibus, ejusmodi miracula adduci sufficeret, idiotis ac mulierculis quàm sapientibus viris convenientiora. Explodatur nimius iste Medicastrorum πλινθργῶν numerus, artis quam profitemur appendicem quęrentium, Hippocratem ut vetulum damnantium, & inaudita dogmata, non quòd vera sed quod nova sint, insulsissimè probantium: Ad populum phaleras.

Quod utcunque latet an ideo specificum nuncupari convenit? Comestus asparagus odorem tum à planta, tum ab ordinario lotio alienum spargit: Terebinthina interiùs sumpta, permixtis cum in renibus, tum in vesica corpusculis, urinam ita imprægnat ut violarum instar fragrantiam spiret: Arsenicalia licet carnem vix tetigerint, cor summa intemperie disturbant, aliasque noxas inferunt: Cantharides manu contrectatæ maligna sua effluvia nonnunquam ad vesicam transmittunt, doloribus & sanguinis mictu conspicua: Opium naturæ nostrę gravis est inimicus, quam paucis granis obruit. Emplastris tamen intermixtum internos dolores sæpè sedasse stupentes observaverunt Medici: Quid inde, an specificum erit topicum? Heterogenearum partium beneficio id præstari quid vetat? aliis calorem introducentibus, aliis humorem condensantibus, aliis per se refrigerantibus, ut inflammationem cedere necessum sit, atq; ipsum aliquando calorem nativum, oborto sphacelo. Effluentes spiritus ab arsenico venenositatem inferunt, nullo modo si validiores sint reparabilem, quod ne specificũ dicatur pluribus venenis commune est.

Occultam ne dicemus qualitatem quâ hystericarum symptomata fiunt, & specificam quâ restituuntur? Utrumque brevissimo temporis intervallo absolvitur, nec majus ad paroxysmi sanationem forti spiritu cornu cervi, aut odore sal[illegible]oniaci, aut quovis alio tetro requiretur, quàm suaveolentibus ad e[illegible]ndam mulierum syncopem. Curantur pari modo morbi à moscho aut fere odorata contracti, assæ fœtidæ aliorumq, ingratorũ odorum ope.

Neminem [illegible]actenus adeo sagacem esse audivimus qui horrorum peculiariũ rationem explanaverit. Mel quibusdam venenosa parit symptomata. Pallent nonulli ad felis intuitum: Alii syncope prehenduntur, ob casei vel allii odo-

odorem, atque ipsius etiam Rosæ cæteris hominibus ut & Veneri gratissimæ. Multos novimus abstemios, at inter illos quosdam adeo infensos Baccho, ut Libitinæ forent proximi, si vini guttulam labiis admisissent.

Plurima adhuc ignota, & in majestate naturæ abdita jacere fatendum est, sensibus non exposita, maxima caligine obducta, & tenebris ut ajunt plusquam Cimmeriis immersa, ob variam colorum odorum saporum aliarumque omnis generis qualitatum combinationem, ut major pars eorum quæ scimus, minima sit eorum quæ nescimus, *Vincit adhuc natura latendi.*

Ea si velint occulta nuncupari, nos neutiquam succensuros noscant: Neque tamen vellemus specificam iis tribus qualitatem incomprehensibiles effectus causantem, cùm sæpè quæ antiquos latebant recentioribus philosophis manifesta evaserint. Magnetem ad polum arcticum sponte moveri, ab eodem ferrum ut à Gagathe paleam attrahi; Antipodes ut nobis, ita nos aliis ex adverso stare; Mare fluxum & refluxum pati, eumque adeo diversum, ut in quibusdam plagis septies per diem occurrere mirum sit, in aliis ter, alibi semel, & in quibusdam nullum; Sanguinem à corde per arterias fluere, & ad idem ab habitu corporis circulatione continua per venas recurrere; aliaque innumera Platoni, Aristoteli, D. Augustino maximis R. P. litterariȩ heroibus, in occulto fuisse, eruditi omnes fateri non ambigunt.

Modos substantiæ à nonnullis productos scientiarũ cupidi non admittant, via est ad perpetuam nec unquam emendandam inscitiam, Quid reponerent objicienti substantiæ vires esse qualitates, quibus ut ministris orbata agere quidquam nequit: Separatis à se qualitatibus, omnium simul sumptarum virtute agere contendunt; terminos concilient, rem ipsam non conciliabunt. Id porro docent Helmontius, Hartmannus, aliique qui sphingem domi habere sibi persuadent, eo maximè ducti argumento, crocum metallorum per macerationem emeticum & catharticum fieri absque ulla sensibili corporis imminutione, & si viribus menstrui detritum; Argentum vivum centies milliesq; liquores quosvis impraegnare & vermes necare absq; ponderis aut saporis alteratione. Arguamus ex opposito nullã esse substantiæ actionem, agendo enim ipsa repateretur; sed omnia spirituum effluvio concedenda.

Egregium Galeni nostri testimonium non prætermittam; dum Æschrionis, empirici, medicamentorum peritissimi, concivis & Præceptoris sui, alteriusq; nomine Pelopis medicinam laudat ex cancrorum cinere Rabiosis plerumque salutifero: Opinabatur enim Pelops cancros ex proprietate totius substantiæ prodesse cujus causas se scire profitens ambitione magna se jactitabat: *At ego*, inquit Galenus, *nisi planè me scire quidpiam persuasum habeam, aliis persuadere non tento*. Utinam pari modestia pari fide procederent qui qualitates specificas in medicinæ theatrum intrudunt, qui pericarpia, amuleta, appensa, febrifuga, antiepileptica ejusque modi nugas præscribunt, qui Antimonium, confectionem de hyacinto & Alkermes, Lapidem Bezoardicum, margaritas præparatas, alces cornu, vulpis pulmonem, lacertæ jecur, combustos asinorum ungues, hippopotami dentem, ustarum hirundinum cineres, extincti de repente viri cranium, aliaqua artis innocentissimæ ludibria aut speciosa aut ridicula exhibent, non minori commendantium [illegible]minia, quàm maximo Mortalium damno. Penes Vos, sanȩ mentis Auditore[illegible]um esto.

Miserandum profectò tot circumforaneos viros, theatra[illegible]as, & mentitos Doctores plebi palam exponere specifica medicamenta, [illegible]æ prȩter nebulonum quæstum, nil quàm luctum & tragœdias excitant. Duas hujus generis imposturas Lutetiȩ Parisiorum actas hic referre liceat. Primam quidem

dem observaverat Duretus, magnus ille Hippocratis commentator & genius, aliquotque ejus collegæ viri optimæ notę Marescottus, Pietręus, Hollerius & Gorrhæus. Ipsis persuaderi non potuerat, lithontriptico cujusdam ciniflonis pulvere, lapidem in vesica latentem atteri & in arenas frangi: Donec Principem trium annorum illo usum meliùs valere ac singulis diebus rubeas arenulas in matellam, unà cũ lotio deponere ejus tota familia universaq; plebs lœtabunda clamaret. Quid ad hæc, increduli pervicacesque Dogmatici? Vestram famam Duretus tuebitur, qui ad mictionem, calculi pulverizati excretionem nuncupabant, accercitus, dum impostor ille vafer Infantis verpam dextra ad urinam fundendam sollicitare fingebat, è sinistra aliquid in scaphium deponi & ejus parietibus adherere, cautè animadvertit. Apprehenso de repente brachio, chartula inter subuculam & cutem reperta est, pulvere rubro ut præcipitato referta: Et illud erat specificum Fraudatoris remedium. Sed & nos alium dolum vidimus. Ante XXV. annos se nobilem Hollandum fingens sceleratus quidam Burdigalensis, specificam artem scire se sparsit, qua levi cum dolore calculum è vesica extraheret: Utcunque primis operibus successit scelus, donec è proceribus Svecis unus se Impostori permiserit, & extractum sibi lapidem confidens, cis mensem inter inflammationis distentionisque cruciatus ultimum objerit diem. Pro gentis more dissectum fuit cadaver, & repertus in vesica calculus amplissimus, quæ nusquam dissecta fuerat. Incisionem quidem in perinæo faciebat perfidus ille nebulo, & sanguine illinc prodeunte portatum clam à se calculum illinibat, quem è vesica extractum exiguo cum dolore mentiebatur & gloriabatur. Se ideo quemquam ad chirurgicum opus admittere velle negabat, ne specificum suum secandi modum palam declararet. O deterrimos homines, Dei atque hominum justitia puniendos?

Tetra hæc & iniqua facinora deleat, mentemque nostram recreet ludicra fraus, arguta Galeni sagacitate patefacta: Huic pollicitus quidam erat incantantionem quæ scorpios interficeret. Ubi illam semel dixisset, in scorpium expuit; inde rursum obmurmurans, iterum scorpium conspuit; at ubi tertiò dixisset, mortuus est scorpius. Id scitè Galenus de saliva esurientium & sitientium interpretatus est, nulla incantationis adhibita ratione, quam minus oculatus specificam admisisset.

Juvenes Medicos secretis, ut vulgò dicitur, inhiantes & brevissimam artis viam per specifica quærentes quomodocunque solabor testimonio Belgę Pauli de Sorbait, Archiatri Cæsarei, cujus fervidum zelum ac doctrinam æquè commendamus: *Apollinem juro*, inquit meth. med. c. 9. *me hactenus ex Galenicis, fortunam honorem & divitias consecutum fuisse, quibus per chymica, caruissem. Ex corde doleo tam multos ab antiquissima & divina methodo adeo turpiter recedere. Italicas universitates uti & Gallicas, atque nostram Viennensem, quæ ab hac labe immunes permanserunt, summis in cœlum usque laudibus efferrem, si possem.* Itaque cauti bonęque frugis Philiatri sapientem incredulitatem utilissimam sibi fore persuadeant ex Euripidis monitu, *in Hel.* Σώφρονος δ᾽ ἀπιστίας οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς. Nervus sit sapientię nil temerè credere.

Circa specifica remedia eorumq; paranymphos hęc dicta sunto. Eamdem horum [illegible]em cum Astrologis à Cicerone descriptis quis non videt? *Ut mihi p[illegible] videatur*, inquit l. 2. de Divin. *quemquam extare qui etiam nunc credat i[illegible] quorum prædicta quotidie videat re & eventis refelli.* Utrisque profectò convenit illud Taciti, hist. l. 1. *Genus hominum est infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra vetabitur semper, & retinebitur.* DIXI.